



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

§. 4. Invidia superbiæ comes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)



scibat, in quo sanguis, non animus regius  
erat. Hi mores id illi nomen fecere, vt vul-  
gò *catenatus diabolus* diceretur. *Diabolum* e-  
nim esse, de nequitijs censebant, sed *catenatu*,  
quia ei deerat suprema potestas, qua sola li-  
gabatur, ne omnia auderet.

Quis superbum vidit, qui non esset am-  
bitiosus? quis ambitiosum nouit, quem in-  
uidia non comitaretur? quæ cum nihil aliud  
sit, quàm *tristitia de bono alterius, aut odium*  
*aliene felicitatis, in quantum aestimatur dimi-*  
*nuere gloriam propriam*, in superbo maxime  
ac ambitioso huius tristitiæ odijque causam  
est inuenire. *Quoniam superbia comes est inui-*  
*dentia*, ait S. Augustinus, *fieri non potest, vt*  
*superbus non inuideat*. Immo S. Gregorius af-  
firmat, inuidiam semper solere nasci ex su-  
perbia. Superbus ergo inuidet inferioribus,  
ne sibi æquentur; paribus, quia æquantur; su-  
perioribus, quia eis non æquatur. Sic, apud  
Lucanum, *Nec quenquam iam ferre potest, Ce-*  
*sariæ priorem, Pompeiusuè parem*. Nemo ergo  
securus est à superba inuidia, aut inuida su-  
perbia, neque subditi, neque æquales, neque  
maiores. Sic Dauidi Saul, Abeli Cain, Iosepho  
vndecim fratres, Lia Rachel, & alij alijs in-  
uiderunt; qui aut maiores erant, aut pares.

IV.

INVIDIA  
SUPER-  
BIAE CO-  
MES.

S. Augu-  
stin. l. II.  
de Genes.  
ad t. c. 14.

D. Thom.  
2. 2. q. 36.  
a. 1.

S. August.  
in Psalm.  
58.

S. Greg.  
l. 18. Mor.  
c. 20. &  
31. c. 31.

Lacan.  
lib. II.  
S. Chryf.  
hom. 44.  
ad pop. &  
41. in  
Matth.



**Iob. 5. 2.**

Minori autem proprium est, inuidia tentari, quia hoc ipso, qui se minorem videt, in altero aliquid videt, quod excellit & ob quod dolet, se esse minorem. Vnde in Iob legimus: *Paruulum occidit inuidia.* Paruulum enim se ipsum indicat, qui dolet alterum esse maiorem, quia ei non æquatur; vel parem, quia sibi æquatur: immo & *paruulus* est, quia timet inferiorem, ne sibi æquetur. Denique vt Comicus ait: *Est miserorum, vt malenolentes sint, & inuideant bonis, & ab omnibus metuant.* Hinc & *catenatus* ille *diabolus* sibi, contra subiectos, prouidendum, & contra tot fratres munimen quærendum ratus, ne vel illi crescerent, vel isti maiores fierent, tandem etiã de catena, qua erat ligatus, rumpenda atq; excutienda cogitauit. Regis sum filius, inquit; nihil est: qui patrem habet, sub potestate est. Plus est esse regem. Qui rex est, neminem timet. Qui regem habet, non habet plenè, quidquid habet. Bonum maius, impedimentum est boni minoris: & minuit desideria mea, quidquid illius auget vota. Ergo malum est mihi, quod illi bonum est. Illius dominium, mea seruitus est; illius gloria, mea ignominia. Quòd non excellam, facit, quia habeo supra me excellentiorem.

Vnum



Vnum arbutum haud alit duos Erithacos.  
Quid multum disputo mecum? tam diu infelix ero, quam diu parens meus sua fruetur felicitate. Illum si tollo, mea facio omnia, transeunt ad me opes, transit gloria, transit potestas & sceptrum. Denique meus sum, quidquid volo, ago. Sed nec dum omnino meus, metuenda est mater; fratres timendi. Aut nihil audendum, aut omnia. Ita est, ut S. Cyprianus dixit: *Invidia radix est malorum omnium, fons cladum, seminarium delictorum, materia culparum.* Et vitia magna, ut magni domini, magnū secum trahunt comitatum.

Tantò autem invidia periculosius est malum, quantò subtilius & occultius, ac virtuti similis. Idcirco enim illud quidam non aestimant, neque vitant, neque confitentur: vel quia sciunt, aliquando prudenter timeri, adeoque & doleri, de bono alterius, in quantum ex eo timetur nocumentum, vel sibi, vel alijs: ut cum dolemus de victoria hostis, qui dolor non est invidia: *invidentia* enim ut & Cicero ait: *est agritudo suscepta propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti.*

*Nam si quis doleat eius rebus secundis, à quo ipse laedatur non rectè dicitur invidere: ut si Hectori Agamemnon, vel quando tristamur de bono alterius,*

L 4

alterius,

S. Cypri-  
an. serm.  
de liuote,

V.

INVIDIA  
QUANTUM  
MALVM?  
S. Greg.  
l. 22.

Cic. li. 4.  
Tuscul.